

petenda, docendumque quali aere, qualiue cibo, & quanto, & alijs eiusdem generis sit opus. Idem **A** tamen faciendum quum causas fluxionum rescindere studemus. Item quando discutere volumus id, quod in parte infedit, aut quum febrem curare, illiusque causas abigere cupimus. Illi verò (vt satis apparet) non sine magno errore de aere, cibo, potu, & alijs suis rebus non naturalibus semel duntaxat deliberant, quali eadem vniuersis affectibus, qui in ægrotante reperiuntur, diuersi generis, & naturæ; aut eisdem per vniuersum morbi cursum conueniret. Præterea enumeratis sex illis rebus ignoramus postea à quibus fontibus, generibusque rerum tum medicamenta, tum vniuersa alia præsidia sumuntur, quum tamen ars certum numerum polliceatur; nimirum quum eo contempto nequeat animus quiescere. Quamobrem ponenda statim ab initio vniuersa rerum genera, à quibus auxilia omnia emanant, siue res non naturales, siue medicamenta, vel alimenta postea vocare velis. Porro ea genera ostendimus iam antea ex Galeno quatuor esse, vnum inquam, quod ea continet, quæ in corpus quomodocumque assumuntur; aliud, quod ea comprehendit, quæ extrinsecus adhibentur: tertium ea habet, quæ à nobis geruntur, vel partim à nobis, partim ab alijs: in postremo **B** verò fonte ea sunt posita, quæ aliquid educunt à corpore; aut in eo retinent, & horum omnium species. Ab his igitur fontibus exhauries omnia præsidia, nec vnquam deerit, quod opitulari possit, quantum admittit nostra hæc facultas. Si quis ergo exempli causâ fluxionis remedia quærat; sciatque uehementes fluxiones reuulsione solum, alias uerò etiam deriuatione sisti, consulat primum genus eorum, quæ extrinsecus agunt, & inspiciet, an reperiri aliquid possit inter ea, quæ impulsu agunt, vel nos ambiunt, uel admouentur, uel appenduntur, aut circumligantur partibus, (hæc enim sub illo genere continentur) quod reuellendi, deriuandi que uim habeat; atque illud in medium proferet; hinc postea perget ad alium fontem, spectabitque an aliqua corporis actio, ut ambulatio fluente humore ad caput, & cogitatio eodem irruente ad pedes, fluxionem reuocare sit apta. Quo loco quietem, exercitationes omnis generis, uitæ conditionem, denique animi, corporisque omnes actiones expendet, trahetque ad suum usum singula, quæ fluxionibus reuellendo, aut deriuando succurrere ualent. Tertius postea succedet fons, qui continet alimenta, & medicamenta, quæ in corpus **C** sumuntur per quamcumque illius partem, & quocumque modo. Nam quædam immittuntur, alia deuorantur, alia manduntur, alia bibuntur, alia inspirantur, quædam lambuntur, alia paulatim destillant, aliqua suguntur, alia aliter fortè in corpus sumuntur, quorum uim perspectam habere oportet, & ea capere, quæ ad idem faciunt. Quartus demum sequitur fons, in quo continentur, quæ aliquid è corpore euacuant sensibiliter, vel insensibiliter, æqualiter, vel inæqualiter; idque vel ab vniuerso, vel à quibusdam duntaxat partibus; quod quum educitur, vel retinetur, fluxionibus medetur. Quibus quidem fontibus exhaustis protinus acquiescit animus, tanquam nullum remediorum genus omiserit, quod nostra exhibeat medicina; & in his victus, medicamentorum, aeris, cibi, potus, somni, uigiliæ, inanitionis, repletionis, animi, corporisque motus (vt aliorum omnium) mentio fit, sed multo sanè felicius, quam si uisitam illam consultandi, scribendi que rationem; vel (vt uerius dicam) corruptionem sequamur; uel inque id diligenter studiosos spectare, in usumque reuocare, quod nos in hac re tradidimus; et si uideam præstantissimos etiam medicos aliter facere; ac tritam **D** eam, & uulgarem sex rerum non naturalium enumerationem, discussionemque sequi, quæ profectò alio consilio à Galeno in Arte medicinali fit, quam ut à nobis ad consultationes, vel ad scribendum trahi debeat, aut possit. Ille enim eo loco quærit, quid necessario omnes immutet, quidque præcipi possit in sanitate conseruanda: at in consultationibus, singulisque affectibus quærimus non solum hæc, sed quæ sunt propria, singulosque à suo statu dimouere sunt apta. Quæ omnia à quatuor illis fontibus, quos ille ponit quinto de Sanitate tuenda, emanant, adeo ut hoc nomine etiam illi damnandi sint, quòd ab eo authore nescientes recedant. In reliquis uerò scopis nihil est notandum præter id, quod statim ex ipso nomine omnibus patet, à nobisque est comprehensum libro primo de Officijs medici, ubi quid in vnoquoque scopo sit animaduertendum, intelligendumque diligentius ostendimus. Quapropter nunc ad secundum, quod proposuimus accedendum est, docendumque quibus instrumentis scopos singulos assequi liceat: De qua re eodem in opere abundè egimus: ac diligentius (ni fallor) quam maiores nostri, docuimusque tria illa esse instrumenta, quibus rationales **E** medici utuntur. Nam indicationem adhibent in his, quorum natura cognosci potest, obseruationem uerò, si sola experientia præsidia constent, analogismo autem utuntur, si nec ratione, nec experientia quidpiam, quod conferat, comprobatum habuerimus, tunc enim transitu ad similia colligimus, quid expediat. Quòd si indicatione (vt iam ferè in omnibus) uti liceat, statuenda imprimis sunt, quæ, & quot sint indicantia, eaque proponenda. Deinde inuestiganda contraindicantia, quæque singulis repugnent, ponderanda. Nam coindicantia, & correpuantia iam sunt comprehensa, si quidem signa sunt hæc indicantium, & contraindicantium. Nec prætermittenda sunt, quæ admittunt sine repugnantia aliqua fieri, quod ab indicantibus suggeritur. Atque hæc omnia diligenter notanda, distinguenda, in usumque perducenda: ne quod vulgus medicorum facit, ista inter se magno errore confundamus, uel temerè colligamus necessaria singulis affectibus præsidia. Audies. n. quosdam, qui si fortè disputa-
turi